

6
1
Sebastiani Baduarii equitis patritii & Senatoris Veneti illustrissime Venetorum Reipublicæ oratoris ad Alexandrum. vi. Pontificem max. in præstanda obedientia.



I aliquo unq̄ tempore præcorū ue patrum ætate sanctissime ac beatissime pater lætari & exultare in pontificum creatione contigerit. Nobis in tam fausta & scelici beatitudinis tuæ ad sacrosanctam sedem sublimatione maxime lætandum & exultandum omnibus certe uidetur. Cum diuino nutu ineffabiliq; prouidentia te pietissimum omni ætate & gradu summa bonitate patrem in dominici gregis pastorem designatum intueamur. A quo ætatis nostræ quietissimum statum & (ut rectius dicam) aureum seculum sumus suscepturi: ut queq; natura aut fortuna data sint omni prorsus dubio & trepidatione semotis: singuli sint xpifideles habituri. Inspectis præsertim diua prudentia innata mansuetudine atq; clemētia beatitudinis tuæ: a qua nemo unq̄ aut non pie & clemētissime susceptus: omniq; benignitate: summaq; æquitate subleuatus abierit. Nihilq; abs te nisi sanctum singulari iusticia: maximaq; animi moderatione actum: institutum: dispositum ue dici potuerit. Quæ omnia naturali tibi sunt insita iure: cum ea a teneris (ut Græci aiunt) unguiculis ex diuī Calisti patruī tui fonte auxisti: In quo tanta fuit sanctitatis doctrinæ: uirtutumq; omniū

FMC
1558
plenitudo: ut uere deus unus humano in corpore credē
dus fuerit: & ita auxisti: ut ne dum ei merito comperan
dus: uerum etiam anteponendus ab omnibus uidearis:
Cum & rerum gerendarū prudentia celitusq; lapsa ani
mi tui inaudita sapientia: uirtutumq; omnium splendo
re adeo polleas: ut illa etiam ipsa rerum humanarū do
mina fortuna: quæ uim magnam habere dicitur: tibi ce
dat: locumq; præstet. Letetur igitur & maxime exultet
christiana Respublica: deoq; optimo immortales grati
as agat: qui eterna sui prouidentia talem sibi & tantum
parētem assignare uoluerit: quod iure etiam optimo in
fallibili uisione preordinatum intuemur: ut eum in sue
religionis supremum Principē preelegerit: qui diuis Hi
spaniæ Regibus maxima esset necessitudine coniūctus
ob preuisa Regum ipsorum xpianissima gesta pro ipsi
us religionis conseruatione: decore: maximaq; amplitu
dine: cum incredibili animi uirtute & magnitudine glo
riosissima belli & armorum ui: amplissimum & opulē
tissimum Bethice Regnum per tot annorum currícula
ab infidelibus occupatum: tali & tāta gloria adepti sint
ut ab ipsa eterni uerbi humanitatis assumptione: nil glo
riosius: nil diuinius actum intueamur. Eum præcipue
etiam preelegerit: quem orthodoxe fidei diuas institutio
nes ne dum inuiolabili firmitate seruaturum: uerum eti
am nouis & necessariis sanctionibus supremo xpiano
rum principe dignis Petri nauiculam decoraturum mi
nime dubitamus: ut deuotissimi omnes xpicolę maxi

2
ma attentione expectant: supplicesq; petunt & clamant
quo fiet ut nulla unq; etas diuas laudes tuas conticescat
Nec obliuionis caliginem uita tua formidabit: sed om-
nium seculorum memoriam ipsa eadem semper tuebit
eternitas: & obstupescant posterii innumeras ipas lau-
des tuas audientes & intelligentes: eterna demum diui
obiecti clarissima uisione beatificaq; scelicitate gaude-
bis. Cum latini eloquii Principis sententia: omniibusq;
qui patriam: qui propriam religionem seruauerint: adiu-
uerint: erexerint: auxerint: certum esse in celum diffini-
tum locum: ubi beati sempiterno quo fruatur. Nihilq;
esse Principi illi deo: qui omnem mundum regit: quod
quidem in terris fiat acceptius. Nostraq; religiois Prin-
cipes oes & populi innumeras & immortales tibi grati-
as habebunt. Cum nil preclarius: nil deo maximo: ipisq;
xpifidelibus gratius: tuoq; pastoralis officio dignius: &
religioni xpiane magis necessariu efficere possis. Vtq;
Veneta Resp. xpianissimo suo instituto: soliteq; in sa-
cro sanctam sedem deuotioni sepe & sepius: ne dum ma-
ximis facultatibus: uerum & proprio sanguine compro-
batis morem gerat: Oratores nos suos ad apostolicos
beatitudinis tue pedes mittendos instituit: ut illi solita
generalem obedientiam: omni cordis deuotioe & iubi-
latione prestemus. Sicq; facimus & prestamus: omniaq;
Veneti Reipu. pro conseruatione. amplitudine glia san-
ctissime sedis & beatitudinis tue deditissima & obse-
quentissima pollicemur. Venetaq; Rempu. ipam nosq;

omnes clementissimis sanctitatis tuæ pedibus cōmen-
datos maxime facimus. Vtq; cęlitus lapsa beatitudinis
tuæ ad suppreum orthodoxe fidei apicem sublimatio
fœlix faustaq; sit; deum ipsū optimum; maximumq;
precamur.

**Dixi in publico Consistorio; Die .xvii.
Decembris .M.cccc.lxxxxii.**

INC
1558

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is written in a historical Latin script.]